



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

Capvt Septimvm. De Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

## CAPVT VII.

EXERCITIUM  
REGVLAE VII. ET EX  
PARTE OCTAVAE.

De matutinis, & vespertinis preci-  
bus, deque oratione vocali  
& mentali.

## PARS PRIMA.

*Quibus horis, ac temporibus orandum  
in primis sit.*

**O**RANDVM esse manè, meridiè, &  
vesperi, docet Propheta Regius: *Ve- psalm. 54.*  
*spere, inquit, manè, & meridiè narra-*  
*bo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.*  
Matutinum quidem tempus orationē po-  
stulat, vt primi mentis nostræ motus con-  
secrentur Deo, neque vllius rei curæ antè  
aditum ad nos demus, quàm nos in cogita-  
tione de Deo oblectauerimus, sicut scrip-  
tum est in Psalms; Memor fui Dei, & dele-  
ctatus sum. Quocirca B. Basilius: *Neque D. Basilius*  
*corpus in regulis*  
*fusus disputatis, interrogat. 37.*



corpus prius ad functionem muneris moueamus, quàm illud fecerimus, quòd ibidem dictum est: Orabo ad te Domine, manè exaudies vocem meam. Manè adstabo tibi.

**D. Basil.**

**ibidem.**

**Lib. de meditatione.**

Meridie, quæ est hora sexta, orandum est, exemplo Sanctorum ait B. Basilus, vt liberemur ab incurfu, & dæmonio meridiano: Deinde quia ea hora, ait B. Athanasius, pependit filius Dei in cruce, idè cum psalmis, ploratu, & supplicationibus orandum est.

**In Danielem.**

Præterea hora sexta, vt notat B. Hieronymus, volens B. Petrus comedere, ad orationem ascendit in coenaculum.

**B. Basil lo  
es supra cit.**

Vesperis verò completo iam die, pro ijs omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciter ve nobis euenerint, gratiarum actio succedat; eorum quæ, quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiã prætermiffa sint, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit, verbis, operibusve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita, veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum euitanda, valdè utilis est præteritorum consideratio. Idcirco Dauid dicit: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Deinde sequetur petitio, vt quies, quam sumus capta



ti, inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio sit munda, & libera. Hæc omnia totidem verbis B. Basilius.

## PARS SECUNDA.

### *Exercitium matutinum.*

**V**bi primùm manè euigilamus, cauendum summoperè est, ne primitias cogitationū alius præter Deum habeat. *Orandum manè euigilamus*

Muniet itaq; se primùm Sodalitatis signo sanctæ crucis, dicetq;: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amē. Benedicta sit sancta, & indiuidua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

Dum corpus vestitur, atque componitur, dici potest hæc breuis oratio: In nomine Domini nostri Iesu Christi surgo, qui me redemit suo pretioso sanguine: ille me *Dum vestimur.*  
 ✠ benedicat, regat, custodiat, & cōfirmet in omni bono opere, hodiè, & quotidie, & post hanc miseram vitam, perducatur me in vitam æternam, Amen. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum, pietate superna, hoc die illumina, custodi, rege, & gubernata, Amen.

Vsurpatam illam ab antiquis Patribus, dæmonis abrenunciationem vestitus usurpare Sodalitatis poterit, signo sanctæ Crucis se signans. *Post vobis.*

Abre-



Abrenuncio tibi Satana, adhæreo tibi  
Domine IESU Christe.

IESUS Nazarenus, rex Iudæorum, ti-  
tulus triumphalis, defendat nos ab omni-  
bus malis.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte &  
immortalis miserere nostri.

*4. Gratiarum  
actio matu-  
rina.*

Tunc compositus ad Orationem, et  
præscripto regulæ Sodalitatis,aget Deo  
gratias, pro omnibus beneficijs tum gene-  
ralibus, tum proprijs à diuina eius maie-  
state acceptis. Puncta eius actionis gra-  
tiarum per modum orationis subijci-  
mus.

*Puncta a-  
ctionis gra-  
tiarum.*

1. Gratias ago Domino Deo meo, San-  
ctissimæ matri, Angelo custodi, Patronis  
meis N. & N. omnibusque sanctis, de nocte  
hac citra noxiam animæ & corporis feli-  
citer transacta: quod si quæ admissa est, ro-  
go ex animo veniam, promittoque emen-  
dationem.

2. In gratiarum actionem, offero me Do-  
mine totum tuæ diuinæ bonitati: cogita-  
tiones, & actus, sermones, studia, actotius  
diei occupationes, & negotia ad maiorem  
gloriam nominis tui, salutemque animæ  
meæ, & proximorum meorum conuere-  
re cupio. Pero ergo, vt de me, meisq; omni-  
bus statuas, sicut diuinæ tuæ placitum est  
maiestati. Vitam, quæso, meâ dirige, auge

me.



me virtute, sapientia, bonisque operibus,  
quibus tibi placeam, seruiamq; fidelius.

3. Rogo denique, mi Domine, vt hodie-  
no die ab omni me peccato custodias, ne  
cogitatione, verbo vel opere maiestatem  
tuam offendam, Amen.

Subsequi tunc debet ex instituto regu-  
larum ter Pater, & Aue, semelq; Symbolū  
Apostolorum, & Salve Regina.

Has omnes excipere posset preces O-  
ratio B. Thomæ ante studium recitanda,  
quæ est eiusmodi.

Creator ineffabilis Domine, &c.

Item pulcherrima illa oratio ad beatā  
Virginem, ô Domina mea S. Maria. Vtraq;  
peti potest ex officio D. Virginis.

His omnibus recitatis precibus, tunc  
feriatis diebus studiosi se ad studia recipere  
possunt; alij verò ad sua negotia. Diebus ve-  
rò Dominicis, festis Christi, B. Virg. alijsq;  
Sanctorum primarijs, aliquid temporis tri-  
bui potest piæ alicui meditationi; quia per  
illam, homo mirum in modum ad omnia  
bona paratur.

## PARS TERTIA.

### *Exercitium diurnum.*

**O**randum esse ante quascunq; operas, *Epist. ad En*  
& actiones SS. Patres docuerunt. Egre *stoch. de cu-*  
dientes de hospicio, ait D. Hieron. *ar- stod. virg.*

met



met oratio: regredientibus de platea oratio  
occurrat antequam sessio; nec prius cor-  
pusculum requiescat, quam anima pasca-  
tur. Ad carnem actum, ad omnem incef-  
sum manus pingat crucem.

*Orandum 1* In egressione ergo domus, signo cru-  
*In egressio-* cis facto, dici possunt sequentes versiculi,  
*ne domus.* ex psalmis deprompti.

*Psalm. 87.* Deduc me Domine in via tua, vt in-  
grediar in veritate tua: lætetur cor meum  
vt timeat nomen tuum.

*Psalm. 24.* Vias tuas Domine demonstra mihi,  
& semitas tuas edoce me.

*Psalm. 118.* Gressus meos dirige secundum elo-  
quium tuum, vt non dominetur mei om-  
nis iniustitia.

*2 In ingres-* In ingressu Ecclesiæ dices: Domine in  
*su templi.* multitudine misericordiæ tuæ introibo in  
domū tuam, adorabo ad templū sanctum  
tuum, & confitebor nomini tuo.

In aspersione aquæ lustralis: Asperge  
me Domine hyssopo, & mundabor, laua-  
bis, &c. Vel;

Huius aquæ tactus propulset Dæmo-  
nis actus, &c.

Tum I E S V S crucifixus, qui in nauis  
adorādus templum ingressis proponitur,  
demissis poplitibus, & capite, erit salutan-  
dus & adorandus, sequenti oratione.

Ado-



SODALITATIS. 257

Adoramus te Domine IESU CHRISTE  
& benedicimus tibi, quia per crucem tuam  
redemisti mundum.

Tum summa reuerentia & demissio-  
ne adorari debet venerabile sacramentum  
sequenti oratione.

Aue verum corpus natum, &c. Vide  
paginam 242.

Vel dici possunt versiculi:

Tantum ergo sacramentum veneremur  
cernui, &c.

Genitori genitoque laus, & iubilatio, Sa-  
lus, honor, &c.

3. Ante quamcunque actionem animi po-  
tissimum, & ingenij dici potest: *Ante quam-  
cunque a-*

Emitte Domine sapientiam de sede *tionem*  
magnitudinis tue, vt tecum sit, & tecum  
laboret, vt sciam quid acceptum sit coram  
te, omni tempore.

OREMVS.

Tua nos, quæsumus Domine, gratia  
semper præueniat, & sequatur, ac studijs  
nostris, bonisque operibus iugiter præstet  
esse intentos. Per Christum Dominum no-  
strum, Amen. Vel;

Actiones nostras quæsumus, &c.

4. Pia admodum est Leodiensis populi *Ad ca-*  
consuetudo, vt audita quavis hora, aperto *ius horæ*  
capite, Crucis signo se muniant; quod sig- *pulsus*  
num



num comitari posset hæc oratio, vel aliqua  
liqua similis.

Omnipotens faustam donet mortali-  
bus horam.

Nos cum prole pia, benedicat virgo  
Maria: vel,

Maria mater gratiæ, Mater misericor-  
diæ, Tu nos ab hoste protege; In hora mor-  
tis suscipe, Amen.

Quæ oratiuncula subinde per diem  
surpanda est à bonis Sodalibus.

§ Ante ci-  
bum, & po-  
tum.

Serm. 1. de  
instic. mo-  
nachorum.

Lib. 3. de  
virginib.  
hom 99.

Lib. 1. de o-  
râdo Deo.

Epist. ad  
Eustoch.

5. Orandum quoque ante cibum & potum  
Bipartito, ait B. Basilius, diuidenda meri-  
diana oratio est; ita videlicet, vt vna pars  
cibum præcedat, altera subsequatur. Potum  
autem nobis bipartita ea oratio esse bene-  
dictio mensæ ante cibum, & gratiarum ac-  
tio post cibum. Nunquam enim citra ora-  
tionem sumenda illa corporis refectio est.  
Id docent & cõfirmant B. Ambrosius, & S.  
Chrysof. Qui etiam populum Antioche-  
num compellans; Opus, inquit, est nos &  
mensam petentes; & desistentes, Deo gra-  
tias agere. Ad hoc enim paratus nunquam  
in ebrietatem decider, aut insolentiã, nun-  
quam crapula disrumperetur, &c. B. verò Hie-  
ron. (vt omittamus cæteros Patres) nec ci-  
bi, ait, sumantur, nisi oratione præmissa;  
nec recedatur de mensa, nisi referatur crea-  
tori gratia.

Eccle-



Ecclesiastici habent orationes sibi pre-  
scriptas in Romano Breuiario ante, & post  
refectionem dicendas.

Laici verò, & seculares accommoda-  
re se possunt ad patriæ consuetudinem; ita  
tamen, vt semper & præmittatur, & post-  
ponatur Oratio Dominica, quia in ea pe-  
timus panem quotidianum, non tantum  
tum vt accipiamus, sed etiam vt acceptus  
nobis prosit, ac non officiat.

6. Oratione quoque necessariò opus est  
in quacunque tentatione. Tunc ergo ali-  
qui ex sequentibus versiculis dici possunt  
cum impressione signi S. Crucis.

*6 Orandã  
in quacun-  
que demo-  
nis, aut car-  
nis tenta-  
tione.*

Deus in adiutorium meum intende:  
Domine, &c.

Esto mihi in Deum protectorem, & in  
locum refugij, vt saluum me facias.

In te Domine speraui, nõ confundar in  
æternum.

Adiutorium nostrum in nomine, &c.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad  
te confugi; doce me facere voluntatem tu-  
am, quia Deus meus es tu.

Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis  
manus pugnet contra me. Cor mundum  
crea &c. Ne proicias me à facie tua &c.  
Redde mihi lætitiã salutaris, &c.



**A**Dsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Omnipotens, & mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum, vt S. Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Christum, &c.

*Dulce tuū nostro scribas in pectore nomē,  
Namq; tuo cōstat nomine nostra salus.  
Illi triste nihil cadit vnquam, mitis Iesu,  
Qui volet vsq; tui nominis esse memor.*

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, Amen.

*Orādum 7.* Quia monet sapiens; Ante orationem ante, et post prepara animā tuā, & noli esse quasi homo S. officium, qui tentat Deum, meritò dicendas ante, & preces hora post recitationem Officij orationes pro- vias, &c. ponemus.

Ante ergo recitari potest Ecclesiæ oratio: Actiones nostras, &c. vel sequens:

*Orationes ante officiū* Aperi Domine os meum, ad benedicendum nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab omnibus vanis, peruersis, & alienis cogitationibus: Intellectum  
illu-



illumina, affectum in flamma, vt dignè, attentè, & deuotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectû diuinæ maiestatis tuæ. Per Christum, &c. vel

Domine IESU Christe, ego humiliter pro tuo honore obedire, & tibi fideliter seruire, teque purè laudare in vnione illius perfectissimæ attentionis, qua tu Patrem orasti, & laudasti in terris, cupio: adiuua me igitur gratia tua, quia sine te nihil possum.

Post recitatum autem Officium; legi *Orationes post officium.*  
solet;

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniã confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Tunc subijci potest altera ex sequentibus orationibus.

Bone IESU, propitius esto mihi peccatori: ego tepidum, & distractum seruitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum, & perficiendum, tibiq; ipsum offero, ad salutem omnium, in vnione illius perfectissimæ attentionis, qua tu Patrè orasti, & laudasti in terris. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissime, Amen. vel

M. 2

Susci-



Suscipe clementissime Deus precibus & meritis beatæ Mariæ, semper virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, officium seruitutis nostræ; & si quid dignum laude egimus, propitius respice; & quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*§ Orandum* §. Nec omittenda est ea oratio, quæ *ad pulsum* matutinu, meridiana, vespertinu. nec, meridiæ, & vesperi solet fieri ad pulsum qui ijs temporibus dari consuevit. Salutarum autem ijs temporibus beata virgo Maria, vt per eximia beneficia ijs horis collata, quibus illa adfuit, misericordiam nobis impetrare dignetur à filio. Nam pulsum matutino, renouatur memoria Resurrectionis Christi, qui rediuiuis ex viuis statim sanctissimæ matri apparuit. Pulsus meridianus datur in recordationem Passionis Christi, cui Virgo præsens interfuit. Vespertinus autem in memoriam Incarnationis Christi in vtero virginis: siue id postremum mysterium manè completum sit, siue meridiæ, siue vesperi: non incongruè tamen vesperi eiuscæ memoriã proponitur, quod sub totius mundi vesperam nouissimis & postremis conditi orbis temporibus, in vltimo seculo & promissum olim, & completum postea fuerit. *Singulis autem*



autem hisce temporibus in memoriã horum trium mysteriorum recitentur terni sequentes versiculi, adiuncta singulis salutatione Angelica.

Angelus Domini nunciauit Marię, & concepit de Spiritu sancto. Ave Maria. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Ave Maria.

Manè verò hisce versiculis, & salutationi Angelicę subijci potest sequens oratio, in memoriam resurrectionis Dominicę.

Domine Iesv Christi, qui rediuiuis ex mortuis, diem illum expectatissimum, quem fecit Dominus, mortalibus reuexisti: fac nos à morte peccatorum excitatos, in nouitate vitę ambulare, vt in resurrectione illa nouissima, tecum omnes manifestemur in gloria; Qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen. Meridie verò:

Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

## O R E M V S.

**R**espice quęsumus, Domine, super hęc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesvs Christus nõ dubitauit

M 3 ma-



manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum: Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Vesperī autem.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante Christi filij tui Incarnationem cognouimus, per Passionem eius & Crucē ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per Christum Dominum nostrum, Amē.

Sunt tamen, qui singulis illis horis; manē inquam, meridie & vesperi; tribus illis versiculis, & triplici Salutationi Angelicæ subijciāt iam dictam orationem, Gratiam tuam, &c. Nec incongruē, cum in ea Collecta mentio fiat & Incarnationis, & Passionis, & Resurrectionis, quæ tria sunt mysteria, quorum meminisse tribus hisce horis debemus.

---

#### PARS QUARTA.

*Quid subinde per diem reuocari in memoriam debeat, & de orationibus eiaculatorijs.*

**Q**uo sit homo per diem magis sibi præsens, meliusq; actiones suas moderetur, in rem est reuocare subinde in memoriam quæ benè proposuit. Erit e-

nina



nim id taciti monitoris loco, quo circum-  
spectè omnia sua exequatur.

2. Expedit vehementer, vt antequam ne-  
gotium aliquot aggrediamur, vel quopi-  
am eamus, paucis apud nos expendamus,  
quæ occurrere possint discrimina, & occa-  
siones peccati, vt contra nos muniamus,  
& armemus.

3. Frequentissimè per diem animū suum  
oportet ad Deum breui aliqua, ceu iacu-  
latoria oratione conuertere, vt illum no-  
bis esse semper præsentem cognoscamus.

Orationes autem iaculatoriæ sunt bre-  
ues aliquæ, & feruidæ mentis in Deum e-  
leuationes, seu preces, quas ex intimo cor-  
dis affectu, ceu iacula quædam, & sagittas  
in Deum homo mittit, quibus penetret, &  
quasi fauciet, sibi que aperiat amantissimū  
illius cor, & pectus benignissimum. Incre-  
dibile est, quàm eiusmodi orationes, &  
Deo acceptæ sint, & hominem accendant  
in Deum. Eas propterea sancti viri sæpè v-  
surpârunt, vt videre est in Dauide & B. Au-  
gustino (cæteros vt in præsentia omit-  
tamus:) ideoque partim ex psalmis, partim  
ex B. Augustini Confessionum libris pau-  
culas eiusmodi preces adferemus, quas So-  
dales sensim & commendare memoriæ, &  
vsurpare, & quando volent, de ijs meditari  
poterunt.

*Quæ dicantur  
oratio-  
nes iacula-  
torie.*



*Eiaculatoria orationes ex  
Psalms.*

- Psalms. 8.* **D**omine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.
17. Diligam te, Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum.
31. Anima mea tibi (Domine) viuet, & semen meum seruiet tibi.
30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.
34. Dic animæ meæ, Domine, salus tuæ ego sum.
41. Quemadmodum desiderat ceru<sup>9</sup> ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?
56. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.
72. Quàm bonus, Israel, Deus his qui recti sunt corde.
- Ibid.* Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.
- Ibid.* Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Quàm



Quàm dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. 35.

Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te. *Ibid.*

Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. *Ibid.*

Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. 102.

O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. (Ecclesiæ, scilicet, & Mariæ.) 115.

Fiat Domine cor meum immaculatū, vt non confundar. 118.

*Totus integer hic Psalmus 118. plenus est eiuscemodi eiaculatorijs precibus.*

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? 136.

Adhæreat lingua mea faucibus meis? si non meminero tui Syon. *Ibid.*

Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas: Et vide; si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. 138.

Notam fac mihi viam, Domine, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. 142.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. 144.

M s

Mag



146. Magnus Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

*Eiaculatoriæ orationes ex B. Augustini  
Confessionum libris.*

*Ex lib. 1. c. 1.* Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

5.5. Quis mihi dabit, Domine, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te.

Quid tibi sum ego, vt amari te iubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & miseris ingētes misérias? Paruane est ipsa miseria, si non amem te.

Noli abscondere à me faciem tuā, Domine; moriar, ne moriar, vt eam videam.

Angusta est domus animæ meæ, quo venias ad eam, dilatetur à te. Ruinosa est, refice eam.

*Ex lib. 3.  
cap. 11.* Obone Deus omnipotens, qui sic curas vnumquemq; nostrum, tanquā solum cures, & sic omnes, tanquam singulos.

*Ex lib. 4.  
c. 1.* Quid ego sum mihi, Domine, sine te, nisi dux in præceps?

Aut quid sum, cum mihi benè est, nisi fugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui nō corrumpitur?

Te



Te nemo, bone Deus, amittit, nisi qui *c. 9.*  
dimittit. Et qui dimittit; quo it, aut quo fu-  
git, nisi à te placato ad te iratum?

O Domine Deus noster, in velamen- *c. 16.*  
to alarum tuarum speramus, protege nos,  
& porta nos; quoniã firmitas nostra quan-  
do tu es, tunc est firmitas; cum autem no-  
stra est, infirmitas est.

Laudet te, Domine, anima mea, vt a- *Lib. 5. c. 14.*  
met te, & confiteatur tibi miserationes  
tuas, & laudet te.

Taceat laudes tuas, Domine, qui mi- *Lib. 6. c. 7.*  
serationes tuas non considerat, quæ tibi de  
medullis meis confitentur.

Væ animæ audaci, quæ sperauit si à te *c. 16.*  
recessisset, aliquid se melius habiturã, ver-  
sa, & reuerfa in tergum, & in latera, & in  
ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus,  
Domine, requies.

O æterna veritas, & vera caritas, & ca- *Lib. 7. c. 6.*  
ra æternitas, tu es Deus meus, tibi suspiro,  
die, ac nocte.

Mihi adhærere tibi, Domine, bonum *c. 11. 22.*  
est; quia si non mansero in te, nec in me  
potero.

Hei mihi, quàm excelsus es, Domine *Lib. 8. c. 3.*  
in excelsis, & quàm profundus es in pro-  
fundis? & nunquam recedis, & vix redimus  
ad te.

Cognoscam te, cognitor meus, cog- *Lib. 10. c. 8.*  
noscam

M 6

noscam



noscam te, sicut & à te cognitus sum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, vt habeas, & possideas sine macula, & ruga?

64. 6. Domine amo te, percussisti cor meū verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt amem te, nec cessant dicere omnibus, ita vt sint inexcusabiles.

6.27. Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua, & tam noua, serò te amaui. Ecce tu intus eras, & ego foris. Mecum eras, & tecum non eram.

64.29 Vocasti me, Domine, & clamasti, & rupisti surditatem meam.

Coruscasti, splenduidisti, & fugasti cæcitatem meam, flagrasti, & duxi spiritum, & exarsi in pacem tuam.

Tota spes mea Domine non nisi in magna valdè misericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis.

Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

O amor, qui semper ardes, & nunquā exstingueris, caritas Deus meus, accende me. Continentiam iubes? Da quod iubes, & iube quod vis.

Li. 11. c. 14. Ecce Domine, coelum & terra clamāt quòd facta sint. Tu Domine, fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus



bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim: Sed nec ita pulchra sunt, nec bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt.

O quàm excelsus es, Domine, & humiles corde sunt domus tua. *Lib. 6. 32.*

Tu enim erigis elisos, & non cadunt, quorum fortitudo tu es.

Tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis ei te, & sufficit ei, & ideo non declinat à te, nec à se. *Lib. 12. c. 15.*

Non eguisti me, Domine, nec ego bonum tale sum, quo tu adiuueris; Non sic te colo, quasi terram, ut sis incultus, si te non colam: sed seruiò tibi, & colo te, ut de te mihi benè sit, à quo mihi est, ut sim cui benè sit. *Lib. 13. c. 1.*

Scio Domine, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est mihi.

---

## PARS QUINTA.

### *Exercitium vespertinum.*

**A**D vitam hominis rectè formandam vehementer iuuat, ut certum sit, quo ad fieri potest, tempus vespere incumbendi, & mane surgendi; inter quæ duo tem-

M 7 pora



pora non multò amplius quàm sex, septemve horæ intercedant, iuxta illud; Septè horis dormisse fat est, iuuenique, senique. Antequàm autem incumbatur, repetenda est per examen conscientie, ab anima ratio transacti diei, vt ex D. Basilio supra ostendimus.

*parte 1.*

*Puncta 5  
examinis  
conscientie.*

Puncta autem examinis conscientie sunt quinque.

1. Agendæ Deo gratiæ pro omnibus beneficiis, potissimum verò eodem die acceptis.
2. Petenda Deo gratia pro vera cognitione, & detestatione peccatorum transacto iam die commissorum.
3. Exigenda à conscientia ratio de admissis præsentis die peccatis; totius diei horas singulas à manè in vesperum percurriendo.
4. Humiliter petenda à Deo venia admissorum peccatorum.  
Seriò proponenda in posterum, cum Dei gratia, vitæ emendatio; & maximè in iis peccatis, in quæ sæpiùs, aut grauiùs eodem die lapsus fuerit.
5. Tunc recitari possunt orationes, quæ Sodalitatis legibus præscribuntur, scilicet ter oratio Dominica, & Saluatio Angelica, & Psalmus De profundis, pro defunctis.

Quòd



Quòd si quis adiicere alias preces velit, sequentes maximè opportunæ videntur.

Te lucis ante terminum, rerum creator poscimus, vt solita clementia sis præsul ad custodiam.

Procul recedant somnia, & noctium phantasmata, Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.

Præsta Pater omnipotens, per IESUM Christum Dominum, Qui tecum in perpetuum regnat cum sancto Spiritu. Amen.

Salua nos Domine vigilantes, custodi nos dormiētes, vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

*Oremus.*

**V**isita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum, &c.

Angele Dei, qui mei es custos, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege, & gubernas. Amen.

O Domine IESU dulcissime, IESU rex amantissime, tu mecum quæso mancas, hac nocte mecum dormias, vt corpus  
som-



somnum capiat, & nunquam cor obdormiat: presentem absens videat, & malum omne caueat: Me Angelus custodiat, & signo crucis muniat. Hinc Satan procul fugiat, & Iesus solus maneat. Quos amo, tecum colligas, in lecto cordis foueas, nec me, nec ipsos deferas, sed benedicens protegas, & in æuum custodias. Amen.

O Domina mea sancta Maria, &c. Maria mater gratiæ, &c.

Tunc aspergat se Sodalis, ac lectum suum aqua lustrali: dicens: Huius aquæ tactus propulset dæmonis actus.

Deinde facto signo crucis lectum ingrediatur, dicens:

In nomine Domini nostri IESU Christi crucifixi cubitum eo; ille me benedicat, regat, custodiat, & in vitam perducatur æternam. Amen.

Custodi me Domine, vt pupillam oculi, sub ymbra alarum tuarum protege me.

In manus tuas Domine, &c. In pace in idipsum dormiã, & requiescam. In hæc verba indormiat, & requiescat in nomine, Domini.

Danda autem est opera, vt finitis orationibus, & conscientiæ examine, seruetur animus benè collectus cum Deo: ideoque vitæ sunt fabulæ, cogitationes externæ tracta-



tractationes negotiorum, & quicquid con-  
iunctionem cum Deo impedire solet.

---

PARS SEXTA.

*Orationes varia, pro variis personis  
& rebus.*

**Q**UIA in Sanctorum suffragiis, quæ  
singulis mensibus cuique Sodali di-  
stribuuntur, præter Confratrem  
aliquem, res alia aliqua, vel aliquis alius ex  
Ecclesiæ præsulibus, ex Regibus, vel Prin-  
cipibus proponitur, pro quo Deo suppli-  
cetur; existimauimus gratum fore Sodali-  
bus, si variæ Manuali nostro ad hunc finem  
orationes infererentur.

Semper autem præmitti poterit hym-  
nus. Veni creator Spiritus, vel Sequentia,  
Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus, &c.

Tunc Antiph. Veni sancte Spiritus, reple  
tuorum, &c.

✠. Emitte spiritum, &c.

✠. Et renouabis faciem terræ.

*Oremus.*

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui glo-  
riam tuam omnibus in Christo gen-  
tibus reuelasti; custodi opera miseri-  
cordiæ tuæ, vt Ecclesia tua toto orbe dif-  
fusa.

*Pro Eccle-  
sia Catho-  
lica.*



fusa, stabili fide in Confessione tui nominis perseveret. Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Pro eadem  
contra In-  
fideles om-  
nes, & he-  
reticos de-  
fendenda.*

**P**ientissime Deus, qui iniquitatum ad te conuersorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis, respice templa tua infidelium manibus profanata, & tui dilecti gregis afflictionem; reminiscere hæreditatis tuæ effusione preciosissimi Sanguinis vnigeniti Filij tui acquisitæ. Vincam tuâ plantatam dextera, quâ ferus aper exterminare conatur, feruenter visita, ac illius cultores aduersus deuastantium rabie in tua virtute corrobora, victores effice, in eaque benè operantes tui fac regni possessores. Per eundem Dominum, &c.

*Pro summo  
Pontifice.*

**D**eu s omnium fidelium Pastor & rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice; da ei, quæsumus, verbo, & exemplo quibus præest proficere, vt ad vitam vnâ cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro omni  
gradu Ec-  
clesiæ.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur; exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fide-



fideliter seruiatur. Per Dominum nostrum  
Iesum Christum, &c.

**O**mnipotens sempiternae Deus, qui fa- *Pro Episcopo*  
cis mirabilia magna solus, praetende *po, & quo-*  
super famulum tuum N. Antistitem *uis Anti-*  
nostrum, & super plebem illi commissam *stite.*  
Spiritus gratiae salutaris, & ut in veritate  
tibi placeat, perpetuum ei rorem tuae be-  
nedictionis infunde. Per Dominum, &c.

**D**eus regnorum omniū, & Christiani *Pro Impe-*  
maximè protector imperij, da seruo *ratore.*  
tuo Imperatori nostro N. triumphū  
virtutis tuae scienter excolere; ut qui tua  
constitutione est Princeps, tuo semper mu-  
nere sit potens. Per Dominum, &c.

**Q**uæsumus, omnipotens Deus, ut fa- *Pro Rege.*  
mulus tuus N. rex noster qui tua mi-  
ratione suscepit regni gubernacula,  
virtutum etiam omnium percipiat incre-  
menta: quibus decenter ornatus, & vitio-  
rum monstra deuitare, & ad te, qui via, ve-  
ritas, & vita es, gratiofus valeat peruenire.  
Per Dominum.

**O**mnipotens aeternae Deus, qui no- *Pro magi-*  
bis in Ecclesiae tuae aedificationem, a- *stratu Ec-*  
nimarum Praesules, & curatores pra- *clesiastico.*  
fecisti, concede iis, quæsumus, cum vniuer-  
so ordine ac statu Ecclesiastico efficacem  
tuam gratiā, ut religionem Christianam  
ab erroribus expurgent, officium suum  
tuum



tum verbis, tum exemplis rectè perficiant  
abusus tollant, sectas, & conuenticula di-  
sturbent, veritatem Catholicam, anima-  
rumque salutem sedulò promoueant; vt sub  
iis pacificè, vnanimiter, & piè, instar ele-  
ctarum ouium ab hæresibus & erroribus  
liberi viuamus. Per Dominum nostrum  
Iesum Christum, &c.

*Pro Magi-  
stratu poli-  
tico, seu ci-  
uili.*

**O**mnipotens æterne Deus, qui ciuilem  
magistratum instituisti, eique gla-  
dium ad malorum supplicium, bo-  
norumque defensionem cõmisisti, te sup-  
plices oramus, vt Magistratus, rectoresque  
omnes nostros in vias tuas dirigere digneris,  
vt in pacata gubernatione perseuerent  
Ecclesiæ tuæ bonum promoueant, bella,  
ac seditiones auertant, omniaque ad com-  
munem tranquillitatem, iustitiam & ho-  
nestatem conducentia perquirant. Per Do-  
minum, &c.

*Pro quouis  
prælato, Su-  
periore, vel  
pastore.*

**D**eus qui per Moysen famulum tuum  
ad gubernandas Ecclesias Præposi-  
tos instituisti, tibi supplices preces  
effundimus, vt hunc famulum tuum N.  
protectionis tuæ gratia munire digneris,  
sicque subditos sibi regere cõcedas, vt cum  
illis cœlorũ regna adipisci mereatur. Quod  
ipse præstare digneris, qui cum Patre, &  
Spiritu sancto viuis & regnas Deus. Per  
omnia, &c.

Hostium



**H**ostium nostrorum, quæsumus Do- *Contra per-*  
mine, elide superbiam, & eorum con- *secutores*  
tumaciam dexteræ tuæ virtute pro- *& malè &*  
sterne. *gentes.*

**P**rotector noster aspice Deus, & ab ini-  
micorum nos defende periculis, vt om-  
ni perturbatione semota liberis tibi  
mentibus seruiamus. Per Christum, &c.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui nō *Pro Indorā*  
mortem peccatorum, sed vitam sem- *& gentium*  
per inquiris, suscipe propitius oratio- *conuersione.*  
nem nostram, & libera Indos, gentesque  
infidelitatis tenebris immerfas ab idolo-  
rum cultura & aggrega Ecclesiæ tuæ san-  
ctæ, vt cognoscant te solum verum Deum,  
& quem misisti Iesum Christū Dominum  
nostrum, qui tecum viuit & regnat in vni-  
tate Spiritus sancti Deus, per omnia secula  
seculorum. Amen.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui sal- *Pro hæretic-*  
uas omnes, & neminem vis perire, *orum con-*  
respice ad animas diabolica fraude dece- *uersione.*  
ptas, vt omni hæretica prauitate deposita,  
errantium corda respiscant, & ad veritatis  
tuæ redeant vnitatem. Per Dominum, &c.

**D**eus auctor pacis, & amator, quem *Pro pace.*  
nosse viuere; cui seruire regnare est;  
protege ab omnibus impugnationi-  
bus supplices tuos, vt qui in defensione tua  
confidimus, nullius hostilitatis arma ti-  
mea-



meamus. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad postulā-  
dam pluui-  
am.*

**T**Erram tuam Domine, quam vide-  
mus nostris iniquitatibus tabescen-  
tem cœlestibus aquis perfunde, at-  
que irriga beneficiis gratiæ sempiternæ.  
Deus, à quo viuimus, mouemur, & sumus,  
pluuiam nobis tribue congruentē, vt præ-  
sentibus subsidiis sufficienter adiuti, sem-  
piterna fiducialius appetamus. Per Domi-  
num, &c.

*Ad postu-  
landam se-  
renitatem.*

**A**D te, Domine, clamantes dignanter  
exaudi, & aëris serenitatem nobis  
tribue supplicantibus, vt qui pro pec-  
catis nostris iustè affligimur, misericordia  
tua præueniente, clementiam sentiamus,  
Per Dominum, &c.

**Q**uæsumus, omnipotēs Deus, clemen-  
tiam tuam, vt inundantiam coerceas  
imbrium, & hilaritatem vultus tui no-  
bis impertiri digneris. Per Christum Do-  
minum, &c.

*Tempore  
pestis &  
famis.*

**D**A nobis, quæsumus, Domine, piæ  
supplicationis effectum, & pestilen-  
tiam famemque propitiatus auerte;  
vt mortalium corda cognoscant, & te in-  
dignante talia flagella prodire, & te mise-  
rante cessare. Per Dominum.

**P**opulum tuum, quæsumus Domine,  
ab ira tua ad te confugientem paterna  
recipe pietate, vt qui tuæ iustitiæ fla-  
gella



gella formidant, de tua mercantur venia gratulari. Per Christum, &c.

**D**Eus qui poenitentiam desideras peccatorum, populum tuum ad te reuerentem propitius respice; vt dum tibi deuotus existit, iracundię tuę flagella ab eo remoueas. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Pro vitanda mortalitate.*

**D**Eus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuę defensionis expugnas; auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, vt omnium inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus. Per Dominum.

*Tempore belli.*

**D**Eus, cuius misericordia cęlestium quoque virtutum indigent potestates, & in cuius conspectu nullus est hominum absque sorde, & poena peccati; delicta populi tui, quęsumus, propitiatus auerte, vt quos proprię conscientię reatus accusat, bonitatis tuę patientia faciat veniã promereri. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Tempore cuiusvis calamitatis.*

**D**Eus infirmitatis humanę singulare presidium, auxiliij tui super infirmos famulos tuos ostēde virtutē, vt ope misericordię tuę adiuti, Ecclesię tuę sanctę incolumes representari mereantur. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro infirmis.*

*Quęsumus.*



*Pro sponso,  
& spōsare-  
cens con-  
iunctis.*

**Q**uæsumus omnipotens Deus, infi-  
tuta prouidentia tuæ pio favore com-  
mitare, & quos legitima societate  
connectis, lōgæua pietate custodi. Per Do-  
minum nostrum Iesum Christum.

*Pro iter a-  
genibus.*

**A**desto Domine supplicationibus no-  
stris, & viam famulorum tuorum in  
salutis tuæ prosperitate dispone, ut  
inter omnes viæ, & vitæ huius varietates,  
tuo semper protegantur auxilio. Per Do-  
minum, &c.

*Pro paren-  
tibus & cō  
sanguineis.*

**D**omine Deus, qui secundum te, pa-  
trem, & matrem honorare, & pro co-  
rum incolumi vita, & fortunis, ut æ-  
quum est, orare præcepisti; da parentibus  
meis, omnibusque fratribus, sororibus,  
consanguineis, & amicis, omnibusque do-  
mesticis nostris salutem & pacem, conser-  
ua eos in fidei tuæ pietate, custodi eos ab  
omni corporis, animæque incommodo,  
largire gratiam tuam, ne vnquam à te se-  
parentur, sed propitium te semper Patrem,  
& Deum experiantur. Per Dominum no-  
strum, &c.

*Pro præce-  
ptorib⁹ aut  
superiorib⁹  
suis.*

**B**enedictionem tuam, Domine famu-  
lus tuus Præceptor noster accipiat, qua  
corpore saluus, & mente, congruam  
tibi semper exhibeat seruitutem, & propi-  
tiationis tuæ beneficia semper inueniat.  
Per Dominum, &c.

Deus



**D**Eus, qui iustificas impium, & non vis *Pro discipu-  
lis, aut sub-  
ditis, aut  
filiis suis.*  
mortem peccatorum; maiestatem  
tuā suppliciter deprecamur; vt famu-  
los tuos, meæ curæ commissos, de tua mi-  
sericordia cōfidentes, cœlesti protegas be-  
nignus auxilio, & assidua protectione con-  
serues; vt tibi iugiter famulentur, & nullis  
tentationibus à te separentur. Per Dom.

**D**Eus qui caritatis dona, per gratiam *Pro deuotis  
amicis-*  
sancti Spiritus, tuorum cordibus fi-  
delium infudisti; da famulis & famu-  
labus tuis, pro quibus tuā deprecamur cle-  
mentiam, salutem mentis, & corporis; vt  
te tota virtute diligant, & quæ tibi placita  
sunt, tota dilectione perficiant. Per Domi-  
num, &c.

**D**Eus auctor pacis, & amator caritatis, *Pro quouis  
amico &  
familiari.*  
quem nosse viuere, cui seruire regna-  
re est; da famulo tuo pro quo miseri-  
cordiam tuam supplices deprecamur, in  
tua fide, & famulatu constantiam, vt in ca-  
ritate Diuina firmatus, nullis tentationi-  
bus ab eius integritate auellatur. Per Do-  
minum.

**D**Eus pacis, caritatisque amator & cu- *Pro inimi-  
cis.*  
stos; da omnibus inimicis nostris pa-  
cem, caritatemque veram, cuncto-  
rumque eis remissionem tribue peccato-  
rum, nosq; ab eorum insidiis potenter eri-  
pe. Per Dominum, &c.

N

Deus



Pro quibuscunque  
pijs Confratribus.

**D**Eus qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inuiolabilem tuæ caritatis affectum, vt desideria de tua inspiratione concepta nulla possint tentatione mutari. Per Dominum nostrum, &c.

Pro uiuis  
& defunctis.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui uiuorum dominaris simul & mortuorum; omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prenosciste supplices exoramus; vt pro quibus effundere preces decreuimus; quosque vel presens adhuc seculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum, &c.

*Observandum est has orationes, que pro pluribus, numero multitudinis funduntur, posse numero singulari efferri, si pro vno tantum offerantur. Exempli gratia, si pro vno duntaxat infirmo supplicare Deo vis, ubi habetur (super infirmos famulos tuos) dices (super infirmum famulum tuum) & sic de cæteris plures numeros in singulares commutatis.*



## PARS SEPTIMA.

*De Orationis dignitate.*

**D**E Orationis dignitate hoc tantum dicimus, nihil in hac vita ab mortali homine exerceri posse nobilius Oratione. Comedere, bibere, somnum capere, & eiusmodi humanæ vitæ obire munia, nobis est cum brutis animantibus commune: Loqui verò, disputare, conferre de rebus variis, res publicas & priuatas administrare, cæteraque id genus rationis officia gerere & exequi, nobis est cum malis, cum infidelibus, & paganis affine. Orare verò Deum, cum illo colloqui, & sermocinari, non modò nos supra bestias, & paganos, ac quoscunque mortales homines, ad ipsam Angelorū celsitudinem attollit, sed ad ipsius quoque Dei maiestatem, & præsentiam eleuat. Vt autem duplicia illa mortalis vitæ munera Christianè, & supra bestiarum, & infidelium communem naturam usurpemus; necessum est, vt ea primùm Dei causa suscipiamus & exerceamus, hoc est, in Dei ipsius gloriam & honorem, salutemque nostram referamus; deinde eadem ipsa, pia aliqua oratione, & cogitatione adspergamus, & quasi condiamus. Tertio denique ea & præueniat



Luc. c. 8.

& comitetur, & consequatur Deus, quē hīce in officiis spectamus. Atque ita fiet, vt id præcepti Dominici seruemus, *Oportet semper orare, & nunquam deficere.*

---

## PARS OCTAVA.

### *Triplex genus Orationis vocalis.*

**O**RRATIO autem est duplex: vocalis & mentalis simul, & mentalis sola. Quę enim oratio solo motu labiorū, citra mentis in Deum eleuationem fit, nō oratio, sed quædam potius Dei irrisio. Proprium orationis est, mentem humanam in Deum eleuare, illique coniungere. Deus est spiritus, qui ergo eum adorant, & cum eo agunt, mente & spiritu, non voce tantū, & labiorū motu id agere debent. Vocalis autem oratio triplex dici potest.

*1. Genus vocalis orationis.*

Prima est, quę fit ab rudibus, & ignaris eorum quę voce dicunt; vt quando Latinę linguę ignari recitant 7 Psalmos Latinę, aut D. Virginis officium, aliasque eiusmodi preces. Tales Deum orant, grataque illi est eorum oratio, quia (quod necessariò supponimus) mentem habent in Deum eleuatam, mente Deum cogitant, cum eo agere se sciunt, etsi nec verba, nec sensum ipsum orationis, & precationis  
quam



quam faciunt, intelligant. Satis illis est, quòd quæ recitant, bona sint & sana, à Scripturis, à SS. Patribus, ab Ecclesia approbata, quæ à Deo intelligi, & cognosci nò dubitant.

Secunda oratio est, in qua & verba intelliguntur, & ipse eorum sensus; sed cursum ea fit, nusquam inhærente mente, ut vocalis. consolatione aliqua pascatur; & si quæ consolatio ex vna sententia percipitur, in progressu statim extinguitur. Hæc oratio bona est, & superiore, in qua nec verba, nec sensus percipitur, melior & perfectior, magis scilicet mentem afficiens, minus orantem fatigans. Ea passim à Christianis usurpatur, & laicis & sacerdotibus, siue cum Litanias, aut septem Psalmos, aut Rosarium, aut officium beatæ Virginis, aut maius ab Ecclesia propositum recitant.

Tertia oratio est, quando inter orandum non modò verba, & sensus ipse cursim percipiuntur, sed in singulis verbis, & sententiis, quæ spiritualem aliquam considerationem continent, mens inhæret, eas expendit, & quasi gustat & regustat, non sollicita ulterius progredi, sed libenter cupiens ibi consistere, vbi accommodatum sibi pabulum inuenit. sic recitare licet orationem Dominicam, Psalmum Misere-



tere, & quascunque alias preces, psalmos, cantica, in singulis vocibus nonnihil inhærendo, expendendoque quid spiritualis ibi mellis, & solatij, doctrinæve insit. Hoc orationis genus comparari potest pluviæ puluerulætæ, quæ minutis guttis decedit & densis, ac proinde à terra paulatim imbibitur, & ad viscera eius penetrat, eaq; benè irrigat, & fœcundat. Quia enim talis oratio in consideratione affectuque vnius alteriusve rei manet, aliquid post se menti impressum relinquit, quo reficiatur, & pascatur; & vt ita dicamus, irrigetur, & impinguetur. Duplex autem illud orationis genus simile est imbri, siue pluviæ maximis guttis cum imperu decidenti, quæ superficiem tantum terræ madefacit, ipsam verò non irrigat. Antequàm enim à terra imbibatur, ad demissiorem locum defluit. Vocalis enim ea oratio exterius, & sensibilibiter tantum afficit orantem; & quia continuò altera alteri succedit, nullus solidus affectus manet, in quo mens hærere & exultare possit. Tertium ergo istud vocalis orationis genus, quod meditationis species quædã est, & planè meditatio, si sola mente fiat, meritò, & sæpè vsurpandum est ab veris Sodalibus, & iis omnibus, qui (vt habet Psalmista) *gustare, & videre volunt quàm suavis sit Dominus.*



## PARS NONA.

*Qua iuuare possint orationem vocalem  
vt fructuosa, & Deo grata sit.*

**C**VM primùm orationis vocalis genus, superuacaneū sit, ni mens optima aliqua cogitatione de Deo eiusq; beneficiis & amoribus occupetur; occupatam autē soleat Deus sæpè afficere, & solatio aliquo recreare: Cùm etiam secundum Orationis genus percurrendo tantum, & verba, & sentētias obseruet, ac propterea facile euanescat eius gustus: Cùm deniq; in utroq; genere mens facile fatigetur, & huc illuc dissipetur, vel quod nō intelligit quæ dicat; vel si intelligit, non ex se ea, sed ex aliorum dictis, & orationibus promat (et sic recitando sua quasi facit, & à se quodammodo profecta, Deo offerat & proponat) propterea curandum est serio, & diligenter, vt mens in Deū benè conuersa, & intenta sit, in eoq; defixa, pabulū sibi conueniens habeat. Quod vt facilius assequi homo possit, hæc illi obseruanda erunt.

Primùm, ante orationem præparandus est animus. In eo autē hæc præparatio fita videtur, vt sibi persuadeat is, qui orationem facere instituit, agere se velle cum Deo, eum cōpellare, infirmitates suas illi

N 4

expo-



2. *Visus, & auditus abstrahendi ab alijs objectis non necessariis.* exponere, opem eius implorare, &c. Oportere itaque in tantæ maiestatis conspectu, & præsentia animo esse præsentissimo, menteque in Deum attentissima. Atq; hæc persuasio, & propositum subinde in decursu orationis repeti, & subijci menti debet.

2. Danda est opera, ut sensus, visus potissimum, & auditus benè comprimantur, & abstrahantur ab omnibus non necessariis. Quocircà demissis oculis, vel clavis ex parte, vel certè ijs in crucem aliquã, vel imaginem, vel locum certum defixis, non huc illuc effusis, ac circumspicientibus orandum est.

3. *Cohibenda imaginatio.* Inferenda vis est aliqua imaginationi, cohibendaque à rerum non vtilium cogitatione. Est enim imaginatio equi instar indomiti, huc illuc perpetuò discurrentis, nisi fræno aliquo coerceatur, & alicui rei certæ, velut pabulo adhæreat. Ad eius itaque leuitatem, & impetum comprimendum, quando quis legit Officium B. Virg. imaginari debet constitutum se apud B. Virg. eiusq; Filium; eam itaq; repræsentare sibi debet ante mētis oculos, certò apud se statuens eam oranti adesse, etiam si minùs externis oculis videatur: Sicut cæcus aliquis persuadet sibi adesse eum quo cum agit, & loquitur, etiam si eum non videat. Item Sacerdotes, aut beneficiati quando domi-



dominicæ diei, vel feriarum legunt officium, proponere sibi possunt Deum Patrem in folio excelso sedentem, circumstantibus Angelis, & Sanctis. Diebus vero festis, eius Sancti qui colitur, præsentiam, quasi illi coniuncti sint, & cum eo Deum laudent & admirentur. In auditione rei sacræ, percurrere licet mysteria, quæ in eo repræsentantur. In recitatione Rosarij, mysteria conuenit expendere, in iis mentem defigere, & quasi animo proficisci per ea loca in quibus facta sunt, aut certè præsentē se iis dum fierent, fuisse, esseque modo, dum eadem recolit memoria. Idem de cæteris precationibus esto iudicium.

4. Dum orationes vocales recitatur, expedit eas subinde aspergere, & quasi cōdire propria aliqua mentis collocutione, ut ipsa ex se Deū compellat, ac per se, sine adminiculo alterius, cum ipso agat, & loquatur; quod fieri potest, parū aspirando ad Deum, petendo peccatorum suorum veniam, illi se, suaque commendando, &c.

4. Oratio  
vocalis ad-  
aspergenda  
subinde  
propria mē-  
tis collocu-  
tione.

5. Cauendum, ne istæ orationes ex libris recitatæ, ab idiotis potissimum & ignaris eius idiomatis, in quo leguntur, nimium producantur, ac loco solatij, & spiritualis gaudij fastidium adferant, fatigentq; orantem potius, quàm excitent. Siquidem semper curandum est, ut (quod ait scriptura)

5. Oratio  
vocalis nota  
nimium pro-  
ducenda.

N 5 melior



melior sit finis orationis, quàm principii; hoc est, vt magis incalescamus Dei amore, & virtutis desiderio sub orationis exitum, quàm in illius exordio.

*Absoluenda  
oratio.*

Postremò danda omnia opera, vt ad finem vsque deducatur omnis oratio. Solet enim diabolus efficere, vel conari certe, vt interrumpamus orationem, ac imperfectam relinquamus quo nimirum & perseverantiæ in orando fructu, & cæteris orationis effectibus careamus; nostramq; Deus orationem reiiciat, tanquam mancā, & imperfectam, ac propterea se indignam, qui perfectissimus est.

---

## PARS DECIMA.

*Orationis mentalis præstantia & descriptio.*

*Quid Meditatio.*

**M**entalis Oratio, est, quæ sola mente fit absq; exteriori vocis sono; quando nimirum mens hominis sine externa voce, quæ internuncius illi est, & interpret quidā, per se cum diuina mente & spiritu agit, & quasi familiariter, sermocinatur, illiq; cōiungitur. Meditari igitur est mente in Deum itare; est pium mentis affectum in Deum dirigere; est ascendere animo de terrenis ad cœlestia; est res super-  
nas

*Quid Meditari.*



nas mente inquirere; est animæ desiderium ad inuisibilia extendere. Quapropter duabus alis nititur Meditatio, Intellectus, & voluntatis operatione. Intellectus enim res, quæ sumuntur meditandæ expendit, obseruat, cognoscit, inter se confert ac simul atque satis eas vidit & excussit, voluntati proponit, eas ut optet & amet, earumque visione excitetur & inflammetur in Deum. Quocirca orationis mentalis finis non est mente discurrere, conceptus pulchros eruerere, res bene capere & cognoscere (quæ operationes sunt Intellectus) sed affici iis cognitis, eas amare, velle, desiderare, quæ voluntatis operationes sunt. Vnde Propheta regius: *In meditatione mea exardescet ignis*; hoc est, feruor quidam, & animi promptitudo, acceleritas exsuscitabitur, ea ut fugiam, quæ obsunt; amem verò & complectar, quæ profunt; ut desiderem æterna, inuisibilia, cœlestia; negligam verò temporalia, visibilia, & terrena. Genus hoc orationis ut nobilissimum, Deoque gratissimum, à sanctis Patribus fuit olim omnium maximè usurpatum, qui noctes sæpè diebus coniungebant, de cœlestibus rebus meditando, cum non possent fatiari præ magnitudine diuinæ voluptatis, quam persentiebant in diuinarum rerum commentationibus. Sed &

*Duabus alis nititur oratio.*

*Meditatio genus orationis est nobilissimum*



Gen. 2.

1. Reg. 2.

6. 2.

experiebantur quotidie magis, quam potens esset, & efficax ista oratio, non ad recolenda modo Dei beneficia, sed & quaeris à Deo impetranda. Sic Isaac Patriarchae egrediebatur foras ad meditationem inclinata iam die. Sic Moyses 40. dies & noctes in monte cum Deo fuit. Sic Anna mater Samuelis loquebatur in corde suo cum Deo, filium impetrare volens, tantumque labia mouebantur, & vox penitus non audiebatur, ait Scriptura. Sic Prophetae; Sic Ioannes in solitudine; sic Christus in deserto & montibus; sic Apostoli noctibus saepe integris; sic veteres illi Anachoretæ, monachi, Eremitæ, sic BB. Augustinus, Benedictus, Dominicus, Thomas, & quicumque sanctitate fuerunt, & recondita Dei cognitione, gustuque coelestium rerum admirabiles; sic B. Virgo conseruabat omnia verba hæc, ait B. Lucas, conferens in corde suo; hoc est, de auditis visisq; apud se meditabatur.

---

### PARS VNDECIMA.

*Quis vsus & praxis mentalis Orationis.*

**C**VM mentalis oratio tantæ sit præstantiæ & vtilitatis, ex re esse videtur, quis



quis eius sit usus, quæque illius partes, paucis explicetur.

1. Pars est lectio. Antequam enim quis ad meditando accedit, legere debet, & inspicere ea, de quibus instituenda est meditatio: aut certè meditationis materiam sibi proponere, antequam ad eam aggrediatur. *1. Pars orationis est lectio, vel materia præparatio.* Materia verò ad meditationem accommodata sunt primùm omnia verba diuinæ Scripturæ, & præsertim Euangeliorum, Epistolarum Canoniarum, & Psalmorum.

Deinde vita, & Passio Domini nostri. Diuæ Virginis, & Sanctorum res gestæ. Adhæc mysteria Creationis, & Redemptionis nostræ; Dei beneficia omnia, & quatuor Nouissima, quorū omnium fructuosissima est consideratio.

Postremò virtutes omnes & vitia; illarū enim pulchritudo & utilitas, horum verò deformitas, & incommoda fructu maximo expendi possunt, & debent.

2. Pars est præparatio, de qua in oratione *2. Pars est præparatio.* vocali diximus. Quibus adijciendum in meditatione, vt petat homo intellectum suum illuminari, & voluntatem accendi ad ea verè cognoscenda & consecranda, quæ menti Deus suggererit, quæque ipse homo, Dei gratia iuuante, conceperit. Et hæc quidem præparatio, vocari *solet.*



solet Oratio præparatoria.

3. *Ipsa meditatio, & commentatio animi.* 3. Pars est ipsa meditatio, ut nimirum homo seclusa omni varietate, & distractione cogitationum, ad ipsa meditationis puncta accedat, circa ea mente discurrens, ea discutens, expendens, videns quasi & palpans. Tu verò ijs expensis, & visis, voluntatem mouere debet, & inflammare ad ea vel admiranda, vel amanda, vel optanda & complectenda, & ad gratias de ijs agendas; vel certè ad ea vitanda penitus & declinanda. Quòd si in primo puncto aut secundo affici mentem, recreariq; animum sentiat, non sit sollicitus ad secundum, tertiumve punctum pergere, sed in eo, quantum satis est, immoretur. Meditationem excipit sæpè, aut comitatur Contemplatio, quando nimirum mens res ita cognoscit & intelligit, ita ijs afficitur & gaudet, ut eas quasi videre, & in ijs Deum ipsum complecti tenereq; videatur. Vnde profluunt derepente animi exclamatiões, admirationes, gratiarum actiones, suspiria, gemitus, aliaque id genus commotæ, & inflammatæ in Deum mentis symbola & affectus.

4. *Pars. Petitio, & colloquium.* 4. Pars est ipsa petitio seu postulatio, quæ interiori aliquo mentis colloquio perficitur. Quàdo enim res ipsa satis expensa est, tunc quid à Deo petendum sit, satis euidenter suggerit, & demonstrat. Vnde Colloquium.



quum illud ex ipsa meditatione pender,  
 & sequitur. Peti autem in vniuersum pos-  
 sunt maius lumen, maiorq; Dei & nostri  
 cognitio. Tum verò peccatorum remissio,  
 infirmitatis curatio, concupiscentiæ dimi-  
 nutio, imperfectionum omnium condo-  
 natio. Postremò deniq; virtutum conserva-  
 tio & incrementum, eorumq; omniū, quæ  
 nos Deo cariores & beatiores efficere pos-  
 sunt, consecutio. Atq; hæc de meditatione  
 breuibus. Quā ea plena sit suauitatis, quan-  
 tus fructus ex ea redundet, vsus ipse & ex-  
 perientia docebunt magis, quàm quæuis  
 humanæ rationes & verba.

---

 PARS XII.

*De Deuotione. Quid ea sit.*

**E**X vsu, frequentiq; exercitio orationis  
 & vocalis, & mentalis nascitur deuo-  
 tio, quæ aliud nihil est, quā actio quæ-  
 dam voluntatis vltro se offerentis (quod i-  
 psam deuouendi verbum indicat) ad ser-  
 uitudinem Dei, tanquam vltimi finis sui. Ab  
 hac oblatione proficiscitur, vt D. Thomas *1. 2. q. 83.*  
 ratiocinatur, promptitudo quædam ipsius *art. 2.*  
 illius voluntatis ad alacriter complecten-  
 dum, & hilariter exequendum quicquid  
 cognoscit pertinere ad seruitutem DEI.

Hæc



*Deuotionis  
causa.*

Hæc autem prompta voluntas oritur, vt diximus, vt ex ardenti precationis studio, ex meditatione de Deo, beneficijs in nos collatis; quæ actiones sanctæ, deuotionis sunt causæ, & quia causæ, nomen etiam deuotionis illis sæpè attribuitur, vt nimirum quis deuotus dicatur, quando orat, meditatursque libenter, & feruidè. Quia etiam ex illa promptitudine voluntatis in Dei obsequium, & ex feruida oratione, & meditatione, sæpè emergit dulcedo quædam, quam degustat animus, cum desiderio incenditur benè viuendi, placèdi Deo, aggrediendi aliquod opus ad illius obsequium pertinens, fit vt ea dulcedo, vulgi vsu vocetur deuotio, cū non propriè sit deuotio, sed deuotionis effectus fructusque, quem cōmunicare subinde, & sæpè ijs solet Deus, qui expediti & prompti sunt ad illi obsequenda, & ex animo famulandum.

---

PARS XIII.

*Pueris & adolescentibus maximè conuenit deuotio, & qui illius sint effectus.*

**D**VPLEX consideratio maximè deuotionem procreat & accendit. Prior est, quòd Deus sit auctor, & parens vi-

ta



tæ nostræ; cui autem potius reddenda vita sit, quàm ei, qui eam dedit? Altera priore etiam grauior, quod ipse Deus sit finis, & vltimum, æternumque bonum nostrum, pro quo fine, & bono à nobis perduto restituendo, dedit nobis filium suum vnigenitum, qui pro nobis & sanguinem, & vitam suam exposuit, vt non dubitemus illi nostram deuouere, & pro eius gloria exponere. Hic ergo iam apparet, in quo perfecta cernatur deuotio, vt nimirum homo tanto amori vicem rependat, atque illi vitam ac se totum, quantus quātus est, deuoueat, qui pro ipso se totum, vitamque suam antè tradidit & deuouit.

Hanc sui deuotionem tamen si omnis *Deuotio* sexus, omnis conditio, omnis ætas Deo *quare maxè* debeat, præcipuè tamen adolescentes *de me pueros,* bent. Non enim solum deuouenda est vita, *& adolescē* sed quam primùm etiam, & in ipsis initijs *tes deceat.* deuouenda. Ipse quidem Deus ita eam postulat, vt à quibusdam dicari sibi voluerit, antequam nascerentur, quod D. Ioāni Baptistæ, Hieremiæ, Samueli & alijs accidit. Ab alijs, ab ipsis incunabulis, quod D. Nicolao, & nōnullis cōtigit. Ab alijs ipsa pueritia, quod D. Thomæ Aquinati, B. Gregorio magno, S. Benedicto, Paulo primo Eremitæ, Ludouico regi, Dominico, Edmundo, Remigio, & sexcentis alijs contigit, qui à prima



à prima pueritia pietatis studiosissimi, & planè dedicati Deo fuerunt. Isti sunt pueri & adolescentes à quibus Deus cor petit: isti sunt paruuli, quos vult ad se venire Christus, & à nemine prohiberi. Isti sunt pusilli, quibus scandalum à quoquam dari vetat.

*Thren. 3.*

Isti sunt, de quibus Propheta; Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Quinimò eorum adolescentium multos sibi sacros in tenera sæpè ætate ab hoc mundo eripit, ne forte succedente ætate à Deo deficiant. Raptus enim est, ait de quodã Scriptura, ne malitia mutaret intellectum eius.

*Deuotionis effectus.*

Deuotionis autem huius effectus, sunt admirabilis erga Dei, B. Virg. & Sanctorum cultum affectus; diligens accuratumque audiendæ sæpè rei sacræ, & verbi Dei studium; diligens sui custodia; erga omnem virtutem studium ingens; mirifica erga res sacras propensio; in obeundis Sacramentis vigil semper, & excitatus animus; in oratione, reque omni ad Dei gloriam pertinente interior quidam sensus & affectio; singulare quoddam desiderium perfectionis suæ, promouendæque in se & proximis suis omnibus, religionis, pietatis, & amoris Dei; denique zelus ardens honoris Dei defendendi; & iuuandarum animarum;

in



in quibus omnibus & singulis exercitijs, vir deuotus eam subinde haurit voluptatem, vt æternam quasi felicitatem, cœliq; delicias prægustare videatur. Claudat hūc locum precatio suauissima, quam à Deo edocta sancta quædam virgo tradidit, ab quouis deuoto adolescente meritò quotidie vsurpanda.

Adoro te, sancta Trinitas Deus meus: *Precatio*  
 gratias ago pro custodia, prouidentia, & *quotidie à*  
 bonitate tua, & omnibus beneficijs tuis, *deuoto ado-*  
 quibus cœlum, terram, maria, & omnia, *lescete me-*  
 quæ in eis sunt, in tempore, & in æternita- *ritò vsur-*  
 te impler. Offero tibi animam meam cum *panda.*  
 omnibus viribus suis; dignare hanc oblationem accipere Deus meus. Offero tibi cor meum in cor, & in amorem vnigeniti filij tui, vt tibi semper seruiat, te amet, te reucreatur. Offero tibi volūtatem meam; fac de me quod tibi placet: ne relinquo me Domine in me; sed assume me, vt sim totus in te. Laudo te, & gratias ago tibi pro infinitis beneficijs in me collatis, & in gratiarum actione rogo beatam Virginem Mariam, omnes spiritus cœlestes, omnes beatas animas, vt mecum tibi gratias agāt, suauissime Domine mi. Impetrēt mihi misericordiam tuam pro omnibus peccatis meis, & pro omnibus creaturis, quas ego tuę diuinę maiestati cōmendo, & à me ipso  
 repu-



repudio, conformans me per omnia voluntati tuæ. Domine mi, tolle à me quicquid tibi displicet in me, & da mihi quicquid tibi placet: dirige & posside me secundum beneplacitum tuum, Amen.

---

### PARS XIII.

*Deliberatio de statu vitæ, quando & quomodo instituenda.*

**H**is quæ diximus de oratione vocali & mentali, & de deuotione, merito subiiciemus deliberationem status, in quo quisque reliquam vitam decurrere velit. Maximoperè enim conducit adolescentibus maturè, aut certè non nimium tardè constituere secum quo in genere ac statu velint totum vitæ tempus transigere, ac denique mortem Christianam obire. In primis igitur adolescens existimare debet, in hac electione, cardinem totius vitæ, atque omnium actionum, ipsiusque æternæ vitæ verti. Deinde verò persuadere sibi debet inquirendam, atque intelligendam Dei voluntatem, num in hoc, aut illo statu velit Deus salutis nostræ negotium nos agere. Perspicuum enim est non omnes à Deo ad vnum, idemque vitæ genus vocari. Tertio denique hæc deliberatio non leui & præpropero

*In delibera-  
tione vitæ  
cardo salu-  
tis vertitur*



propere, sed maturo consilio, neq; tamen nimis tardo suscipienda est.

Triples autem via est; siue triplex status in quo ad Deum perducimur. Sunt semitæ arctæ & angustæ; sunt latæ & spatiosæ; sunt & mediæ. Arctæ est semita, paupertatis, castitatis, & obedientiæ professio. Lata & spatiosa, quæ diuinis mandatis constat, hisq; absolvitur. Media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est, nec consilijs omnibus inhæret, sed quædam amplectitur, & quædam non. Quosdam ad arctam capeffendam semitam diuina lux inuitat, quosdam ad latam, quibusdam vt in media sese teneant, monstrat. Sed fit iam nescio quibus modis, vt quos monstrante luce, quæ cœlitus menti infunditur, arctam religionis capeffere oportebat, latam, coniugij scilicet, ingrediantur; & quos in lata consistere, mediam, cælibem nimirum in seculo inuadant, inuertanturq; omnia; vnde in seculo naufragium patiantur, qui in religione naue incolumi portū tenuissent, & in religione submergantur, qui in seculo enataffent; & in mixta via, quæ est cælibum, siue Ecclesiasticorum, siue seculariū, pereant, qui in lata, vel arctæ emerfissent. Quocirca pro ratione harum viarū trium, tres dabimus admonitiones dignissimas quæ expendantur.

*Triples status seu via, in qua ad Deum perducimur.*

PARS



## PARS XV.

*Triples admonitio, singulis vitæ  
statibus seruiens.*

*1. Admoni-  
tio: vt Dei,  
lumen, &  
inspiratio  
obseruetur.*

**P**Rima est. Omni cura & diligentia ob-  
seruandum est, quo Deus, eiusq; inspi-  
ratio & lux nos impellant. Id autē ob-  
seruabimus, & cognoscemus sine dubio, si  
frequentibus precibus, frequenti Sacramē-  
torum vsu Dei nutum & voluntatē explo-  
rauerim⁹, parati ad id omninò sequi, quod  
suggererit. Dicendum itaq; frequenter cū  
Samuele; Loquere Domine, quia audit ser-  
uus tuus. Et cum Dauide; Paratum cor meū  
Deus, paratum cor meum; & cum Sapien-  
te; Emitte Domine sapientiam de sede ma-  
gnitudinis tuę, vt mecum sit, & mecum la-  
boret, vt sciam quid acceptum sit coram te  
omni tempore. Paratus sum, Domine,  
in omnem euentum & voluntatem tuam;  
vis me in terra mea consistere, vt intē no-  
tos seruiam tibi? Paratum cor meum. Vis  
vt de terra, de cognatione, de domo Patris  
exeam, atque apud ignotos agam? Para-  
tum cor meum ad omnem nutum tuum,  
ad læta & tristia, ad suauia & aspera. Vis vt  
semel abdicatis omnibus, in religiosa pau-  
perrate, obedientiaque tibi seruiam, idque  
in hoc loco, apud hos vel illos aggrediar?  
da ostensionē, da significationem volunta-  
tis



tis tuæ; nihil moror, nec patriam, nec cognatos, nec magna quæ me manēt. Si quid aliud iubes, vt vel cœlibem in sæculo vitæ, vel honestum coniugium subeam, da ostensionem, beneplacitum tuum indica.

2. Admonitio. Quia Deus regit omnia 2. *Admonitio: vt prurè causas, vt noua edere miracula non debeat; ideò vnà cum frequenti hac numinis diuini exploratione, consulendi sunt viri prudentes, sani, & integri, confessarij potissimum, qui pernouerunt & vires & facultatem nostram; alijque doctrina & pietate præstantes, qui citra proprium vllum commodum, citra affectum nos iuuent, benè consulant, dirigant, & Dei voluntatem edicant. Atque hoc ita necessarium est, vt si negligatur, nunquam benè res possit succedere. Nō vult enim Deus proprio niti nos iudicio, sed suo; quod edicere solet & ostendere per Sacerdotum, bonorumque virorū sententiam & consilium.*

Propterea Tobias monebat filium, vt *Tob. 4.* à sapiente consilium perquireret. Et Sapiens: *Fili mi, ait, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitēbis. Eccl. 22.* Si sine consilio facendum nihil est; quæ temeritas fuerit, & stupiditas, ne dicam, arrogantia, & amentia, sine prudētium, & sapientium virorū consilio, statum vitæ aliquem arripere?

Tertia



*Tertia admonitio.*

Tertia admonitio est, vt quicumque deligere sibi vitæ genus aliquod constituit, singulos status sibi ob oculos ponat, & quæ in ijs proposita, ac serè obuia sint pericula, dispiciat. Quid enim prodest homini, ait Saluator, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Subijciat ergo oculis suis vitam aulicam, militarem; mercatorum item, Iurisperitorum, & medicorum statum; singulorum horum vitæ generum difficultates, discrimina examinet; proprias etiam vires ingenij, scientiæ, iudicij expendat; quid ferre recusent, quid valeant humeri, ne cum temerè susceperit, ferre non possit, & tam grauibus deinceps peccatis & periculis obruatur.

Quòd si deliberatio sit de statu Ecclesiastico seculari, cum onere procurationis reddituum, aut cura animarum, res est, vt S. Bernardus ait, Angelicis humeris formidanda. Nemo assumat sibi honorem, monet Apostolus, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Propterea huius tantæ rei electio postulat multas ad Deum preces, multa pietatis opera, consilia sapientium, maturam deliberationem. Denique ad hoc vitæ genus per vim potius trahi oportet, quàm vltro, cum æterna pernicie, ad id, per ambitionem contendere.

Cauen-



Cauendum maximè ijs omnibus, qui Ecclesiasticum statum capessunt, ne mundi, vel commoditatum terræ huius causa, illotis quasi manibus, ad sacerdotia, & beneficia, statumq; eū prouolēt, nisi malè iactato fundamentō tam ardui status, turpiter postea in mille vitia prolabi, ac demum ad infernum corruere velint præcipites. Neq; enim Ecclesiastica vita nisi propter Ecclesiam, Deumq; deligenda est.

Si de religiosa vita est deliberatio, non ad amicitias & cognationes, non ad res humanas eiusmodi, sed ad Dei instinctum & motum, ad hanc potius, quàm ad aliam trahentis disciplinam, & vitam respiciat: deinde ad propensiones, inclinationesque maiores naturæ suæ & ingenij; postremò illud vitæ religiosæ genus, illud cœnobiū, locumque religiosum ducat alijs præferendum, in quo viget magis virtutis ardor, & spiritus primæ institutionis, & observatio religiosarum legum, siue antiquarum sit institutum illud vitæ, siue nouum.

PARS



## PARS XVI.

*Conclusio tractatus de status generisq;  
vite deliberatione.*

**N**emo dicat: Quotusquisq; est adoleſcē-  
tium qui vitā ſibi aliquam delecturus  
hæc diſpiciat & obſeruet? In promptu  
ſiquidem reſponſio. Quanti ſunt, qui in eo  
ſtatu quem ſibi, ſine hæc cautione & cōſide-  
ratione delegerunt, exitum felicē ſortian-  
tur? Docet quotidiana experientia multo-  
rum, qui quòd nullā habita vel Dei vel ſa-  
lutis ſuæ cura, ad coniugia, ad Eccleſias, ad  
Canonicatus, ad animarum miniſterium,  
ad religioſa inſtituta prouolârunt, in gra-  
uiſſima ſalutis ſuæ diſcrimina sæpè incur-  
rerunt. Deinde, quis non videat de eo ma-  
ture & ſeriò deliberandum & ſtatuendum  
eſſe, quod in omnem vitam retinendum  
eſt? Propterea Tobias prudenter ad filium;  
*Tobias 9.* Filii mei, inquit, pete à Deo, vt vias tuas diri-  
gat, & conſilia tua in ipſo permaneant.  
Peccant proinde ij, qui ſuam vocationem  
ſine timore Dei corrupto affectu, quod car-  
nis impetum, mundi que ſequantur iudi-  
cium, leuiter auſpicantur. Huc enim ſpe-  
ctat Chriſti Domini præceptum, vt non  
ſecundariò, ſed primùm, ac purè quærant  
regnum Dei, ac iuſticiam eius, ſi nempe  
proſpe-



prosperum successum, & exitum in sua vocatione consequi cupiunt.

*Oratio pro loco, ac salutaris  
vita statu.*

**O** Domine Deus æterne, qui cuncta gubernas, disponis, & moderaris, inuoco paternam pietatem tuam, & peto, vt locum ac statum talem mihi prouideas, vbi congruenter ad tuam gloriam, & ad meam salutem tibi valeam famulari. Per Dominum nostrum, &c.

O 2

CA.